



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 3. Quinam sunt cæteri hujus Sacramenti effectus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

riales se habent ad perfectionem forma, ita actus se habent ad perfectionem finis. Vnde cum hoc Sacramentum perficiat conjungendo fini, ad hoc quod effectum suum plenè habeat in sumente, oportet quod adsit actualis devotio: & quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones varia ipsam impediunt, & peccata venialia virtutum actum tollant; absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri: ita quod aliquis augmentum gratia non consequatur, nec tamen reatum peccati mortalis incurret: sed fortè reatum peccati venialis, ex hoc quod imparatus accedit.

Card. Caietanus. in 4. q. 79. 3. P. S. Tho.

Et Cardinalis Cajetanus hujus rationem, ut ita dicam, sensibilem affert his verbis: Si quilibet sumptione Eucharistia (etiam si nullus interior charitatis actus, ob mentis distractionem, interveniat) augetur gratia: infinitorum panè Sacerdotum, quos credimus verè in gratia celebrare, charitas jam esset major intensivè, quàm credi rationabile sit, cum tanta multitudo charitatis in tanta multitudine otiosa pateat, quoniam nec extra apparent, nec intus de seipsis testantur actus similes ferventissima charitatis: & tamen certum est, quod sicut amor Dei non est otiosus, sed operatur magna, si est: ita tam magna augmentatio amoris Dei non est otiosa, sed operatur multò majora quàm prius proportionaliter, si est; & consequenter si longè majora operari renuit, longè major charitas non est; & tamen longè major ponitur esse in singulis celebrationibus, quantumcumque parum crevisset charitas Sacerdotis, qui tot annis, diebus ferè singulis in gratia celebravit.

Quaest. 3. Quinam sunt ceteri hujus Sacramenti effectus?

De Sacram. Euchar. Cap. XII. 211

Resp. Ex Decreto unionis Eugenii IV. in Concilio Florentino : *Omnem effectum quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spirituales.*

Tertius hujus Sacramenti effectus habetur in Concilio Tridentino, his verbis : *Sumi vo- Conc. Trid. luit Sacramentum hoc tanquam spirituales* sess. 13. cap. animarum cibum, quo alantur & confortentur<sup>2.</sup> *viventes vitam illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me; Tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservemur.*

Et ut ait sanctus Bernardus : *Duo Sacramentum hoc operatur in nobis : ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum; si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundia motus, invidia, luxuria, aut ceterorum hujusmodi, gratias agat Corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* S. Bernard. serm. De Baptismo, & de Sacr. Altar. circa medium.

Hoc Sacramentum vim etiam habet remittendi peccata venialia, ut ait sanctus Ambrosius. *Qui vulnus habet, medicinam requirit: medicina est cœleste & venerabile Sacramentum, iste Panis quotidianus in remedium quotidianæ infirmitatis, id est, peccatorum venialium.* S. Ambrosius. De Sacram. lib. 5. cap. 4.

Hoc Sacramentum, inquit Divus Thomas, *operatur remissionem peccati, perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet: Juxta id quod dicit Ecclesia in collecta pro vivis & defunctis: Sit hoc Sacramentum ablutio scelerum.* D. Th. 3. p. q. 79. art. 3. in corp.

Dicendum, ait ibidem S. Thomas in respon. ad 1. quod petimus, ut hoc Sacramentum sit

212 TRACTATUS IV.

*ablutio scelerum quorum conscientiam non habemus, secundum illud Psalmi 18. Ab oculis meis munda me, Domine.*

Denique ultimus hujus Sacramenti effectus, qui reliquos aliquo modo complectitur, est peculiaris quædam virtus ad procurandam dignè suscipientibus vitam æternam, ut habetur Joannis cap. 6. *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*

S. August.  
Tract. 46. in  
Joannem.

Quare Divus Augustinus super illud Joannis cap. 6. *Caro mea verè est cibus, ait: Cùm cibo & potu id appetant homines, ut non esuriant neque sitiant: hoc veraciter non præstat, nisi iste cibus & potus, qui eos à quibus sumitur, immortales & incorruptibiles facit in societate Sanctorum, ubi pax erit & unitas plena atque perfecta.*

